



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Articulus V. De translationis effectu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

Prælatos, & Ecclesias suas matrimonium spirituale non ita contrahi censeatur, sicut inter Episcopum, & Ecclesiam suam, causa ista assignari debet, quia Sacri Canones non prohibent, illos ab Ecclesijs suis transferri; dummodo proximi Superioris licentia accedat.

ARTICULUS V.

De translationis effectu.

2050. **P**rimus translationis effectus est, dissolutio spiritualis vinculi cum priori Ecclesia *c. 2. h. t. c. Bone 4. §. fin. de postul. Prælat. ibi: à vinculo, quo tenebatur, Colocensis Ecclesie absolventes.* 2. quod novæ jungatur ea potestate, ac si eam alio provisionis modo acquisivisset 3. quod, consensu dato in translationem, prior Ecclesia vacet ipso jure, etiam ante acquisitionem novæ Ecclesiæ, ne sit Episcopus, seu sponsus duarum: inferiores autem Episcopo, promoti ad Episcopatum, priora beneficia retinent, donec possessionem, & plenum jus Episcopatus acquirant; sic Abbas *consil. p. 2. Consil. 101. à n. 3.* Ex hoc deducitur, per translationem canonicam translato constitui novum jus in Ecclesia, ad quam transfertur, & extingui in illo jus in Ecclesia, à qua transfertur; quod non contingeret, si retineret jus postliminij, relatè ad relictam.

Ad quæstionem porro, quando Episcopus translatus perdat alia jura prioris Ecclesiæ, respondet Barbosa *in c. 1. h. t. n. 5.* quod ab eo tempore, quo ab illius vinculo absolvitur in Consistorio suæ Sanctitatis, etiam ante expeditionem literarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, si habeat notitiam factæ absolutionis, etiam ex testimonio Secretarij sacri Collegij.

2051. Præter dicta, not. effectum translationis, propriè dictæ, solum in Episcopo locum habere; nam hi soli, non autem inferiores Prælati, habent vinculum spiritualis conjugij cum sua Ecclesia, cujus dissolutio effectus est translationis propriè dictæ, sine quo non possint effectum alterum, quo explicat certum modum perveniendi ad Prælaturam, quam in alijs præstare potest sine illo, ex *c. fin. de postul. Prælat.*

Not. 2. translationem Episcoporum esse reservatam soli Sedi Apostolicæ. Nam causæ majores, in signum privilegij specialis Apostolicæ Romanæ Sedi reservatæ sunt. *c. quod translationem, 4. de offic. Legati c. majores 3. de Baptismo.* Causæ autem majores, & summo Pontifici specialiter reservatæ, sunt fermè istæ: *fidei controversias authenticè definire, cit. c. majores, c. quoties, 12. causâ, 24. q. 1. Episcopos transferre, deponere, renuntiationes eorum admittere, c. 2. h. t. c. quamvis 7. causâ 3. q. 6. c. cum pridem, de renuntiat. Generale Concilium congregare, c. 1. & 2. d. 17. Irregularitates, matrimonij impedimenta dirimentia statuere, in casibus reservatis dispensare, & absolvere, &c.*

Et ideo, nec Legatus, etiam à latere, translationem Episcoporum facere potest, sine speciali mandato Papæ, ut colligitur ex *c. Gratium 2. de Postulat. Prælat. ibi: quod à te, de mandato nostro, factum;* ex quibus verbis sequitur, quod Legatus Apostolicæ Sedis, ex speciali commissione, sive mandato, translationem Episcopi, ad aliam Sedem, instituere possit; non item, *jure communi*, tametsi Legatus à latere sit, uti constat ex *c. nisi 3. & c. seq. de offic. Legati.* Not. 4. translationem rectè, ac honestè suum effectum sortiri, quoties fit à minori dignitate ad majorem; ut, cum Episcopus transfertur ad Ecclesiam Metropolitanam, ut colligitur ex *c. Bone 4. de postul. Prælat. junctâ gloss. V. honestius; L. ut gradatim 11. ff. de majorib. & honorib.* ob necessitatem verò, vel utilitatem, etiam ad dignitatem parem, v. g. ab uno Archi-Episcopatu ad alterum, prout factum est in casu cit. *c. Bone*, ubi Archi-Episcopus Colocensis ad Strigoniensem postulatus, admissione summi Pontificis, translatus est.

Not. 5. Abbates, postquam semel benedicti sunt, ad alterius Monasterij Prælaturam translatos, non amplius, seu iterum debere benedici, ex communi doctrina, quam tradit Azor *p. 1. l. 12. c. 20. q. 4. & Barbosa p. 2. de potest. Episcopi, allegat. 27. n. 51.* secus Abbatissas, prout etiam cum Azor tradit Navarrus *in Consil.*

2. ad 1. q. de statu Monach. edit. 2.

* *